

del dienen/ welchen geschencket sind die allertheuesten Ver-
 heissungen. Von denen / sage ich/ wird mit allen Recht eine
 ernstere Verläugnung der leiblichen Güter/ und Bequem-
 ligkeiten / als von den Israeliten erfordert/ und vor grössere
 Sünde gerechnet — denen so herrliche Güter nicht sind mit-
 getheilet. Frustra hic quæritur differentia; nam licet præ-
 rogativâ fidelium N. Tti, præ illis qui sub veteri œconomia
 vixerunt alias haud negemus, nec negare audeamus;
 eadem tamen fuit fidei virtus idemque Spiritus, & eadem
 divina potentia, ex qua & illi operati sunt fructus justitiæ
 eminentissimos conf. Ebr. Cap. XI. & ad stuporem usque
 mirabitur quispiam plenitudinem gratiæ V. Tti. Et quid di-
 cendum: Annon Patres in V. T. facti sunt filii Dei per fidem?
 Si illi non facti sunt ergo nec nos in N. T. quia eodem mo-
 do & nos salvari volumus Act. XV. v. 11. Nonne circumcisi-
 one Messiam incarnandû induerunt Veteres, quemadmodû
 nos in baptismo incarnatum? Qua de materia conferantur
 Theologi nostri, in specie vid. Qvenstedii Syst. P. 4. Cap. 3.
 Sect. 2. Quæstione secunda. p. 80. 81. 82. 83. 84. Deniq; atten-
 datur, quod ad versa pars dicat, nos in N. T. participes factos
 esse multarum virium spiritualium, quæ sanctissimis Patri-
 bus in V. T. non sint exhibita: Subsumo, quod si ergo piè
 imò sanctius vixerunt veteres, quam non dicam multi ad
 intolerabilem superbiam spirituales efflati Pharisei nostri
 temporis, sed humiles quoque & sinceri veræ pietatis amato-
 res; & tamen non acceperunt tantam gratiam: hoc certè ha-
 buerunt ex viribus propriis: At quis non videt, quod hæc
 absurdissima sint? Oculis careat necesse est, qui non obser-
 vet talia. Quid multis? Aut delectatio super res mun-
 danas, quam Patres hauserunt ex rebus mundanis fuit pec-
 catum, aut non fuit peccatum. Si peccatum; sequitur quod
 Deus sit Autor peccati, quia donum Dei vocatur: Si non
 peccatum, non video, quare & nobis non sit licita.

§. IV.